APPLAVSVS,
IN FELICEM, POST
varias regiones peragratas, in Patriam REDITVM,

Perillustris, ac Generosi Domini, D.

THOMÆ ZAMOYSKI,

DE ZAMOSCIO, KNYSZYNEN: &c. &c. Capitanei:

A studiosa juventute Scholæ Elementorum Philosophiæ, & Eloquentiæ, in Academia Zamoscen, honoris, & observantiæ ergô,

FACTVS.

ZAMOSCII,
In Typographia Academiæ Excudebat Christophorus Wolbramensis, Anno Domini 1617.

INSIGNIA ZAMOSCIANA.



Quàm benè conveniunt, ſpatio defixa patenti,
Arma Zamoſciadûm! benè quàm ſupereminet auſis
Corniger hic, loca celſa tenens, ingentibus! hercle
Credo non magna cauſa ſine: Sed quia ſemper,
Ante alias omnes, animum, curamque virilem
Gens ea ſuſtinuit, triplici circumdata fulcro;
Conſilio; Pietate gravi; Virtute ſevera.
Hinc meritis ſurgit pro tantis gloria cœlo.

Staniſlaus de Zmigrod Stadnicki.

Perilluſtri, ac Generoſo Domino, D.

THOMÆ ZAMOYSKI,

DE ZAMOSCIO, KNYSZYNEN: &c. &c. Capitaneo, Domino, & Patrono ſuo colendiſſimo.

QVOD nobis maximè in votis, optatiſq; fuit, Perilluſtris, ac Generoſe Domine, illo ipſo tempore, cùm non minùs ardenti, quàm utili rerum pulcherrimarum ſtudio incenſus, in remotas, atque longo locorum diſſitas interuallo, orbis terrarum regiones Te conferres; quò Te, feliciter exſatiatis tuis præclaris deſiderijs, domum revenientem, inclyta florentem laude, Regum magnorum, ſummorumque Tetrarcharum familiaritate auctum, præſentem præſentes quamprimum intueremur: id nos eo die eſſe conſecutos vehementer lætamur. Neque enim quicquam dari poteſt, quod animos noſtros; vel majori oblectatione demulcere; vel ſplendo-

re, luceq; sua, in admirationem abripere queat, augusto vultu Tuo: in quo, veluti speculo quodam, Heroici animi; qui patriam, quà privatim, quà publicè egregiè sustentet, ornet, atque illustret, summis, divinisque suis virtutibus, species radiant atque promicant: quæ, quò plurium jam oculos in se converterunt; quò plurium linguis, ac præconijs celebrantur, eò stabilioris Tibi laudis decus conciliant, admirabilioremque Te magis ac magis omnibus exhibent: & nunc, faustum hunc Tuum in Patriam reditum, majori applausu, & congratulatione, ut omnes prosequamur, impellere magis, quàm flagitare videntur. Tacitus ea nunc prætereo, quæ, pro Patriæ, Tuæque laudis incrementis, iudiciô Virorum, dignitate, atque authoritate summa præstantium, hucusq; gesseris: hoc Tuum tantum literarum studium, tantus in promovendis bonis artibus fervor, ac diligentia, mirificè nos excitat: dum nil magis cupere Te videmus, quàm studiosam nobilissimæ hujus Reipub: Iuventutem huic uni incumbere labori; ut Tuo beneficio, cùm honestissimis moribus imbuta, tum optimis exculta

disci-

diſciplinis, ſibi honori, Patriæ emolumento, uſuique eſſe poſſit. Cujus tanti, tamque ſingularis beneficij Tui, omnes, qui jam aliquid ingeniò, doctrinâ, atque exercitatione valent, gratos ſeſe, ac memores, uti aliàs ſemper, ita & hoc ipſo tempore declarant: dum exoptatiſſimo adventu Tuo recreati, in fauſtas acclamationes medullitus erumpunt; in Te unum omnem mentis, animique ſui aciem defigentes. Quorum exemplo, en nos etiam, qui primis adhuc Philoſophiæ, & Eloquentiæ præceptis, in Academia Tua operam navamus, permoti, in eam officij rationem lubentes deſcendimus: ut, quicquid à Te gratiæ, quod certè maximũ eſt, in nos proficiſcitur, non ore tantùm, ſed etiã ſcriptis, grati animi noſtri ſignificationem teſtatam faciamus. Minora quidem ſunt hæc longè, quàm ut Tuis immortalibus promeritis; aut noſtræ gratitudini conveniant: ſpectabis tamen hîc pro Tua, quâ polles, prudentia, non quod dignitatem Tuam deceat; ſed quod ingenium noſtrum mediocre, nequedum ſatis exercitatum, præſtare poſſit: ratum apud te habens illud Principis Romanæ Eloquentiæ:

EAM

EAM esse gratiæ naturam; ut eam, & qui retulerit, habere, & qui habeat, retulisse videatur. Accipe itaq; Perillustris, ac Generose Domine hoc, exile quidem, Tibi tamen non indebitum, officij nostri symbolum, benigno, ut soles, vultu: nosque Academiæ Tuæ alumnos, consueto benevolentiæ studio complectere. Eximij istius Tui animi non solùm apud eos, qui nunc vivunt, grata vigebit memoria: verùm etiam apud posteros luculentum testimonium permanebit. Anno Domini 1 6 1 7.

Stanislaus Zołkiewski,
Element: Philos: & Eloqu:
Studiosus.

ODE I.

Tricol: Tetraſtroph.

QVêis mî quêis reſonat lætitiæ modis,
Antêhac immodico preſſa ſilentio,
In ſublime columnis
Erecta, aula Zamoſcij!
Tectis (ut video) grata patentibus
Inſignis recipit progeniem patris:
Dulci cujus amoris
Complexu caruit diu.
Prô quantis ſtudijs exiliat! dum Herum
Almo jam gremio ſuſtineat ſuum:
Cunctos quanta voluptas,
Exemplô illius, occupat!
Haud rerum facies tam benè ſplendida
Olim fulſerat; urbs Martia, curribus
Stantes, Æmilianos
Dum ſpectaret, in arduis:

Quàm

Quàm nunc sydereis promicat ignibus
Isthæc, conspicuis clara viris, domus;
Quo nictantia cunque
Præsens lumina torseris.
Præcedunt celebres, ordine sat gravi,
Antiqua geniti progenie, viri:
Certatim venerantes
Secli grande decus sui.
Hinc, atque inde obeunt ritè suum caput,
Insignes rigido Marte, satellites:
Decertare parati,
Felici illius omine.
A tergo comitum subsequitur cohors,
Latè fusa locis, imperijs Heri
Assuefacta: voluntas
Quam nutu subitò regit.
Altis prospiciens ex penetralibus
Parnaßi Aonidum turba, Deo sacra,
Gressum Heroa ferentem:
Dulces pectore concipit
Sensus: Mæonios atque ciens modos,
Lauro deproperat Chalcidicâ, boni
Quàm præsaga futuri!
Ejus tempora cingere.

Cœtu

Cœtu ille in medio progreditur virûm,
Splendoris radios, sol veluti, procul
Spargens; verterit in se ut
Aspectum insimul omnium;
Nec non attonitos reddiderit stupor
Vultus: sic celeres ad se oculos rapit
Interserta nitentem
Fulgens gemma per annulum.
Non mortalis inest vultus ei. viden'
Cervix pulchra micat: splendet & aureum
Os: fulgorque oculorum
Certat lumine syderum:
Malarum decori purpureum decus
Cedit Sidonij muricis. Inclytæ
O ingens Patriæ spes,
Ut verè omnia te decent!
Ut sublimis honos, ac reverentia,
Majestate gravem per faciem, nitet!
Haud incerta futuri
Nobis signa ferens boni.
Ex nostro nec enim pectore decidit;
Qualem te Getici Martis in artibus,
Dulci floridus ævo;
Aut pace in media domi

Cunctis præstiteris: primitias lubens,
Justis pro meritis, dum Patriæ dares
Virtutis generosæ, ac
Multùm fertilis ingenî.
Majori juvenis laude Themistocles
Haud ornatus erat; dum, in Marathonio
Campo, cum hoste superbo
Fortes consereret manus:
Romaniue parens, Tullius, eloquî,
Ascitus Procerum concilio gravi;
Dum firmare Quirites
Cœpit consilio suo:
Quàm tu; dum rabie Martis in horrida;
Seu pacis placidæ tempore, strenuus,
Alta mente parentem, &
Factis exprimeres tuum.
Hæc à te juvenis dum fueras: modò,
Rebus postquam animum, jam magis ac magis
Instructum, & cumulatum,
Ad nos in Patriam feras:
O quantam segetem, mentibus intimis,
De te concipimus, laudis Olympicæ;
Quæ ex virtute potenti,
Actutum veniet tibi.

Salve

Salve jam Patrij præsidium laris:
Salve dulce Domus subsidium tuæ:
Salve magna Camœnæ
Spes nostræ, ac decus inclytum.

Martinus Wybranowski
Element: Phil: & Eloqu:
Studiosus.

ODE II.

Tricol: Tetrastroph.

CLio, supremi progenies Jovis,
Descende cœlo, præcipiti gradu:
Et Lesbijs te barbitis da
Perfacilem, neque non benignam.
Desideratus Dîjs Patrijs, quoque
Cœlo Polono redditur en: boni,
Quem duxit externas in oras
Percupiens animus sciendi.
In lucis auras editus haud sibi,
Sed Patriæ: non ducere spiritum
Inglorium, delegit; instar
Civis, inertia quem occupârit:

Verùm parentis facta perardua
Vltro secutus; Mnemosynis choris
Postquam litasset, Martijsque,
Occiduas peragrauit oras.
Illum fuit nil vincere quod potens
Esset; rati seu verreret æquora;
Seu se daret terris apricis:
Omnia perpetier paratus.
Turgente ponto vicerat Africum,
Sævis strepentem multùm Aquilonibus:
Timenda terrarum pericla
Vicerat; haud tamen ipse victus.
Velut Promethêi progenies, sacris
Deducta regnis, fertur in arduas
Arces Olympi sponte; vinclis
Concita nec cohibetur ullis:
Sic & tenacem propositi virum
Non derelinquunt cœpta priùs, quàm eis
Fruges laborum larga constet,
Omnigenæ, celebrisque laudis.
Iactet procellas Æolus horridas:
Trisulca vibret tela Diespiter:
Fractusque collabatur orbis:
Impavidum ferient ruinæ.

Invicta virtus hæc tua pectori
Succrevit almo, ducta per insitum
Stirpis vigorem: quam periclis
In Patriæ dubijs probasti.
Mentem futuri quis benè præsciam,
Quantùm necesse est, concelebret tuam;
Perspexeris dum cautus urbes
Magnificas, hominumque mores?
Amœna multos Hesperiæ loca
Vidêre, Ulyssêi persimiles gregis;
Paucos referrent qui, cavendi
Pectore, Ulyssea perspicacem.
Tu, providenti consilio, virum
Laërte cretum, rebus in exteris,
Rectos ad usus sevocandis,
Terq; quaterque refers, & ultrà.
Sorti ille quondam succubuit miser;
Dum, turbulentis vela regens Notis,
Delapsus esset, plena technis,
Ad juga montis aprica Circes.
Hæc namque Solis nata, potentibus
Herbis, sodales illius induit
Vultus ferarum in sævientes:
Pòst dominum tenuit per annum.

Hæc

Hac tu malorum transgrederis freta,
Victorque pergis tramite, quem tulit
Prudentiæ magnæ tuæ lux,
Quem & genius bonus occinebat.
Æstate tanquam mellificans apis
Latè vireti pervolitat loca:
Succos tamen non libat herbis;
Sint nisi odoriferæ, aut salubres:
Sic tu remotas, imperijs, plagas,
Regumque mentes impavidas tuens:
Tantùm hæc notasti mente solers,
Quæ procul à vitio fuêre.
Doctrina vires promovet insitas:
Rectique cultus pectora roborat:
Vtræque Divæ sunt potentes,
Judiciô sapientis auræ.
Jbis virili pectore jam acrior
Sævos in hostes: victor & ad tuos
Lætus redibis; jamque figes
Signa tholo peritura nunquam.

Gasparus Lysakowski,
Element: Phil: & Eloqu:
Studiosus.

ODE

ODE III.

Dicol: Tetrastroph.

INtermissa diu rumpe silentia,
Phœbo grata, Chelys, faustaque gaudia,
Optato ex reditu nata Zamoscij,
Dulci concine carmine.
Lætos hosce dies collibus in suis
Ponit quisque: quibus, functa laboribus
Duris, vota bonos duxit ad exitus
Magni stirps patris inclyta.
Hanc fortuna sinu perplacido, trium
Annorum spatiô, fovit, avi bonâ,
Per lunæque vagæ, solis & aurei
Deduxit varias vias.
Usquam nec fidei jura refixerat:
Ut multos homines est scia fallere;
Arridet facie conspicuâ quibus,
Tum quos auget honoribus.
Ergo, ne careat pulchra dies notâ,
Index lætitiæ tendat in æthera
Pæan: solve dapes, pectore fervido,
Votivas superûm Patri.

Ornus ceu folijs orba, faventibus
Auris, dum recipit læta suum decus,
Mirum! quantùm aveat membra per extima,
Pulchro germine frondium:
Cunctis sic animo crescit alacritas,
Proles Lechiadûm Dia, Zamosce: dum
Nobis restituis te, tibi nos quoque,
Orbos præsidio tuo.
Lentas ātè moras rumpere fas foret:
Fas multò antè lares visere patrios:
Fas dotes animi in facta dare; agnitas
Pridem syderibus poli.
Tanta incommoda non ultimus incola,
Hostis per profugi sulphureas faces,
Sensisset; nimiùm præteriti memor,
Quantis (proh dolor) ingemit.
Cœpta infecta animus sed vetuit, boni
Gnarus: prospiciens hoc magè serijs,
Nec non magnificis rebus; Olympicas
Quêis olim ferias domos.
Vires eja tuas, omine prospero,
Urge, quò genius te movet impiger,
Jmmortale decus gentis, & inclyta,
O, tutela Poloniæ.

Joannes Oranski,
Elem: Phil: & Eloq: Stud.

ODE

Ode IV.
Dicol: Diſtroph.

ET thure, & fidium modis,
Argutum melos, & dulce ſonantibus,
Feſtos ducere nunc dies:
Nunc ornare Dei templa juvat, juvat,
Phœbi frondibus entheis.
Cunctis tempus enim ſuave, jubar velut,
Affulſit, rutili ætheris;
Quo votis fruimur, jam nimiùm diu
Optatis: redijt nepos
Poſtquam Sarmatiæ, gente Zamoſcius,
Felix in proprios lares.
Veris perplacido tempore, candidi
Dum ſoles meliùs nitent;
Spirat dumque tepens aura Favonij:
Sumunt cuncta decus novum.
Molli prata virent gramine, floribus
Rident verſicoloribus:
Tum gemmis pariter pullulat, explicans
Latè, ſylva vigens, comas:
Jucundo reſonat tum modulamine

Concentûs, regio ætheris,
Permultùm tremulis grata volucribus;
Sic præcordia gestiunt,
Dèlibuta novis lætitiæ modis;
Vt conspeximus, inclyte
Heros, conspicuo lumine splendidam
Virtutum, faciem tuam.
Cœli Rußiaci tu nitidißima
Lampas; luce tuâ loca
Collustrans, tenebris mersa ferocibus
Immensæ querimoniæ;
Auras in tenues disjiciens procul
Nubes mœstitiæ graves.
Tu blandum Zephyri pneuma; tepentibus
Auris efficiens sine
Atrâ nube dies; ac revocans simul
Vitæ ad munia pristina
Omnes, tempus ad hoc exanimes ferè.
Tu numen, veniens quasi
Cœlô, cuncta tuis restituens bona.
Sanè sensimus optimè;
Quid nobis tribuas; quid quoque nos tibi
Deberemus, ut expedit:
Virtute absque tua, duximus anxij

Cùm

Cùm insvaves, nimiùm diu,
Auras æthereo semine. sensimus,
Mœrore ac fuimus graves.
Quassabatque magis pectora quò dolor
Nostra: hoc interea magis
Cernendi studium, sensibus intimis,
Et flammas capimus tui.
Evax Castalium plectra sonent melos:
Præsentes agitare fas
Luces, lætitiâ, cantibus, & lyris.

Jacobus Bojáno-wski,
Element: Phil: & Eloqu:
Studiosus.

ODE V.

Dicol: Distroph.

QVem tu perennis claritas famæ virum
Ad facta nobilissima
Erexeris, nascendi in ipso limine:
Haud ulla res represserit
Jllum, decore plurimùm gaudens suo,
Virtutis arcto tramite:

Aſt celſa contendet poli cacumina
Summo ferire vertice.
En, per receſſus cordis imos, gloriæ
Ardore tactus fervido
Zamoſcius: non uſitatâ cuilibet
Pennâ, gradum celſiſsimo
Conatur ejus collocare in culmine.
Non ſtirpis illum ampliſsimæ
Illuſtre nomen, conſecratum ſeculis:
Non fama præſtantiſsimi
Parentis, æternùm vigens, jactantiâ
Ejuſmodi ſufflauerit;
Vt, otio pigro, nimis volubiles
Vitæ meatus falleret;
Trophæa percenſens, feris ex hoſtibus
Relata victrici manu.
Non ſuppetens rerum omnium affluentia
Graves procul curas tulit.
Rerum inclytarum exacta nec ſcientia,
Inſigne munus Cœlitum:
Non ſingularis civium propenſio hanc
Conjecit in fidentiam;
Vt, dignitatis conſcius ſuæ, gradum
Virtutis interſiſteret.

Hæc

Hæc namque fortunæ, ingeniíque commoda,
Largè tributa, comperit,
In efficacem vitæ opem mortalibus;
Non vero in ullum obstaculum:
Quapropter illis, ceu quibusdam alis, citò
Subvectus in cœli plagas,
Huc per laborum fertur ac illuc satus,
Sublimè, cursu præpeti,
Virtutis innixus potenti arbitrio.
Vrgent eum urgent maximam
Ad dignitatem gloriæ, Patris sui,
Vnaque caræ Patriæ,
Collata signa cum hostibus sævißimis,
Frequenter, ac feliciter;
Quiete nec leni sinunt unquam frui:
Perinde ut olim floridum
Annis Neoclidem celebris torserat
Summi Ducis victoria.
Primæva testis ejus ætas integrè
Peracta: quam prout semel
Cultura virtutum, artiumque, gnaviter
Excepit; à conatibus
Sic proprijs latum nec unguem desilìt.
Quinimo opus frenis foret,

Refle-

Reflecteres si promptè euntem ad ardua.
Laudata crevit strenuè
Virtus, decora honoribus scientiæ.
Atque altiùs pectus suum
Eduxit actutum paterno limine;
Tentanda seu pericula
Pro civium chara salute, ac Patriæ
Pro pace jucundissima
Essent; agendum seu domi prudentiâ
Res flagitaret publica:
Industriam utrobique declarans suam,
Splendore solis clariùs.
Huc spectat indagatio legum anxia,
Longis locorum tractibus
Quæsita; nec non urbium spectacula;
Solersque morum notio:
Huc summa Regum, illustriumque pertinet
Necessitudo Principum;
Vt, de sua multò magis Republica,
Hinc promerendi colligat
Et inde qualibet juvamina, in sinu ac
Almo recondat pectoris.
O ardor efficax perennis gloriæ!
Quid non potes? quas ô tui

In men-

In mentibus mortalium figis faces!
Vrge Zamosci urge gradum:
Est nulla virtuti tuæ via invia.
Splendore quà sol aureo
Illustrat oras, haud negatas gentibus:
Semper tui laus nominis
Sonabit, atque gloriæ præconia
Per ora summorum virûm.

Gasparus Stapkowski,
Elem: & Philos: Eloqu:
Studiosus.

ODE VI.

Dicol: Tetrastroph.

QVi felicis eos nomine censeat
Indignos, celebri sanguine nobiles
Vitæ qui subeunt limina: cæcior
Sanè Tiresiâ foret.
Idem nostra licet corpora spiritus,
Emissus, foveat, sedibus ætheris:
Tantùm inter reliquos attamen eminent
Sublimi genere editi:

Quan-

Quantùm coniferæ summa cacumina
Cupreßi superant, aëreis jugis
Ida Dardaniæ, conçavioribus
Acceptas salices locis.
Nimirum rosei ceu nitidißima
Phœbi lux reliquis syderibus præest;
Lumen perpetuò suppeditans eis,
Nunquam deficiens, suum:
Majores voluit non aliter poli
Numen, consilio cuncta regens bono,
Terris esse viros; auxilio inclyto
Qui mortale juvant genus.
At quamvis rutilent conspicuis viri
Majorum titulis; fulgidaque insuper
Præstringant meritis sydera proprijs,
Claro ortu memorabiles:
Vrbes si varias terrigenûm tamen,
Mores & varios perspiciant simul,
Jura illos lateant nec varia urbium,
Terræ censuerim Deos.
Nam si gens hominum prisca putaverit
Illos eximia stirpe Deûm satos;
Invenêre aliquod qui, sapientiæ
Suasu, vitæ opus utile:

Nullis

Nullis hoc meliùs conveniet decus;
Quàm qui multiplicem, pectore masculo,
Rerum extrà capiunt experientiam,
Ritu Narycij ducis.
Vnum ferre solum non valet omnia.
Fœcundæ hinc Cereris surgere munera;
Vvas inde meri conspicis: una nec
Est industria gentibus.
Hæc duræ nimiùm militiæ tenax:
Vindex illa mali perpetuò manet:
Hûic cordi pietas: hûic mediocritas:
Illi autem pudor insitus.
Hæc rerum facies candida quem precor
Mortalem specie non capiat sui?
Quem non pelliciat, solicitô quoque
Cuncta hæc ut studiô colat?
Quòd si prævalidas exitio dari
Vrbes; aut etiam regna potentia
Convelli, rabidis seditionibus,
Vitæ sive licentiâ,
Advertas: memori mente locaveris,
Tanti causa mali quæ fuerit: simul
Hanc arcere sacris à laribus scias:
Fies sic nec inutilis.

Sic quondam imperij vincla Laconici,
Effrenata nimis, conditor optimus
Legum complicuit: dum Mareoticas
Emensus fuerit plagas.
Sic rebus proprijs Romulidæ quoque,
Per bis quinque viros, de medio sui
Lectos, profuerant: Cecropias ubi
Leges compererint benè.
Horum te numero clara Zamosciæ
Gentis progenies accumulas probè:
Dum messem Patriæ corde vehis pio,
Collectam in regionibus.
Lustrasti celebres Teutonicas viris
Vrbes: æquoreæ ac sceptra Britanniæ:
Gallorumque, Italûmque insuper inclyta,
Consedêre quibus, loca.
Nec pavisse fuit lumina sat tibi:
Nî res inde simul perciperes, salus
Quêis stat nixa diu publica; tum à quibus
Permultùm caveat sibi.
Mirati studium solicitum, & flagrans,
Quærendis placidæ pacis in artibus,
Ac belli, rutilant qui diademate,
Quique his sunt similes, viri.

At

At tu, læta velut sceptrigeri Jovis
Ales semper iter promovet arduum
Jmmensis spatijs; dum Zephyrus levat
Illam subsidio levi:
Jncrementa stupor quò caperet magis,
Movisti celeres ampliùs hoc gradus;
Artes egregias perspiciens, quibus
Omni tempore sit locus.
Quod natura tibi contulit insita:
Quod doctrina, quod ipsa experientia
Suffecit: Patriæ nunc age alacriter
Vsus confer in optimos.
Jngentes dabitur solicitudines,
Et curas vigiles pectore vincere
Forti: fas etiam tangere vertice
Laudum culmina maxima.

Gasparus Bergemanus,
Element: Phil: & Eloqu:
Studiosus.

ODE VII.
Tricol: Tristroph.

NÆ rebus ille consulit suis benè;
Nititur ad superos
Quicunque Cœlitum choros,
His paßibus vitæ sùávis, ad modum &
Prætereuntis aquæ:
Quêis tu Zamosci nixus es.
Nequaquam enim potis fuisti dispari
Orbitâ iter premere
Vernantis ætatis tuæ:
Hanc præter ipse quàm optimè trivit sator;
Proposuitque tibi
Gnato revolvendam unico.
Multos, minùs rerum exterarum idoneos
Usibus, elicere
Solet suam extra Patriam
Ferventis ardor sanguinis: quos nil lucri
Inde referre juvat,
Nil commodi; præter grave, ac
Insigne detrimentum inæstimabilis
Temporis, ac animum
Exoticis plenum malis.
Ætas enim tenella patrijs priùs
Nî laribus fuerit
Probis referta moribus;

Exculta nec non dogmatis scientiæ:
Mente quod arripuit
Foris, medullitus tenet.
Tantùm recens rerum valet jucunditas,
Cerea in exitium
Nimis, rudem cùm offenderit.
Hinc illa meßis Patriæ supervenit:
Optimus agricola
Ex sentibus qualem legit.
Procul fuisti tu ô procul vir inclyte
A rationibus his
Vitæ: fuit dum ætas vigens.
Nam cassus est, ac indecorus is labor,
Pectore solicito,
Captare ab exteris ea;
Quêis commodißimè queas, dulcißimo
In Patriæ gremio,
Potirier cum fœnore.
Proinde tu pectus refersisti tuum
Artibus ingenuis,
Musis bonam mentem applicans:
Leges quoque amsanctas notasti insigniter,
Pax pia, tuta salus
Rei quibus stat publicæ:

Vt inde quisque prosperum indolis tuæ
Ceperit augurium,
Rebus futuris annuens.
Sic collocatis institutis Patriæ
Mente probè memori,
Sanctißimisque moribus:
Statim petîsti dißitas orbis plagas;
Judiciô celeri
Visurus urbes splendidas.
Quamvis ad unguem cuncta tu hæc cognoveras,
Quæ bona cunque foris
Extant, labore usus gravi:
Major tamen cùm luminum vis, quàm aurium
Esse, eadem, soleat,
Coràm expetîsti cernere.
Olim ferebatur, gradu quàm præpeti!
Copia Grajugenûm
Olympica ad certamina;
Spectatum abundè industriam mentis catæ, &
Corporis eximias
Vires, in exemplum sibi:
Tu obtutuum porrò tenaci lumine
Climata pervaria,
Quà se Hesperus præceps agit,

Lustrans

Lustrans; probasti industriam simul tuam
Gentibus, ingenuas
Dotes aprico proferens.
Stupore præ suo stetit Rhenus loco:
Oceaniq́ue sinus:
Rhodæ fluenta, & Tybridis.
Dulcem ruebant in tui amplexum viri,
Germine progeniti
Regum vetustæ originis:
Ac pluribus donis, in æternum suæ
Pignus amicitiæ,
Te reddidêre splendidum.
Felicitatis parte eâ quantùm tui,
Et pariter patrij,
Auxti decoris gloriam!
Divi secundent perpetim Zamosce, qui
Te sibi conciliant:
Paremq́ue proferant Patri.
Te te sonanti Musa plectro concinet
Nostra, sub æthereas
Vehens plagas sydus suum:
Identidem placere gestiens tibi;
Magnanimo veluti
Tyrinthio olim Græcia.


Gregorius Christophowicz,
Elem: Phil: & Eloq: Stud.

ODE VIII.
Monocolos.

R Erum Conditor omnium perennis,
Solus qui regis omnia, & gubernas,
Sol quæcunq́ue suo nitore lustrat:
Numen auxiliare, Numen almum,
Votis supplicibus Tuum precamur;
Thomam, Sarmatiæ decus, Zamoscum,
Ac gentis pariter suæ celebre,
Successu facias frui secundo.
Qui quamvis Patriam, togâ, sagoq́ue
Juvisset benè, nomen & per ora
Immortale suum dedisset, almis
Cultus moribus, artiumq́ue rectis
Præceptis Patrio solo refertus:
Fundamenta velut, satis venusta,
Jecit Te duce; res seũ Minervâ,
Seu Mavorte fero fuit gerenda:
Prodesset tamen ut magis, magisq́ue,
Pacis temporibus, periculiq́ue,
Sese contulit exteras in oras,
Fretus consilio Tuo salubri.

Claris ac regionibus, simulque
Probis moribus, haud nec institutis
Multis, Hesperio sub axe, visis,
Factis mente celebribus notatis:
Sospes in Patrios lares revénit;
Solerti ingenio, fide tenaci,
Sano consilio, manu potenti,
Cunctis dotibus usque profuturus.
Ergo fac, valeat diu, ac benignis
Vitæ muneribus lubens fruatur:
Quò civem gerat, & patrem suorum,
Lætis auspicijs; suumque nomen
Factis inserat arduis Olympo.
Votis da placidum exitum rogamus,
Rerum Conditor omnium perennis.

Wilhelmus More,
Element: Phil: & Eloqu:
Studiosus.



484